

IN FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI.

EVANGELIUM. MATTH. XI.

In illo tempore respondens Jesus dixit : Confiteor tibi Pater Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis. Ita Pater: quoniam sic fuit placitum a te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et memo novit Filium nisi Pater : neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris ; jugum enim meum suave est onus meum leve.

CONCIONES.

- | | |
|--|---------------------------|
| I. Quam gravia sint juga Judæorum, gentilium, mundi, peccati, diaboli. | VIII. Documenta evangelii |
| II. Qua ratione jugum Christi, id est, mandatorum ejus suave sit. | IX. Mysteria. |
| III. Invitatoria ad jugum diaboli trahendum dissuadentur. | |
| IV. Jugum quadragesimæ acceptandum. | |
| V. Commendatur mansuetudo et humilitas. | |
| VI. Cur Judas a Christo ad apostolatam fuerit evecus. | |
| VII. Neminem perturbari aut scandalizari deberi, quod quandoque Judas aliquis deserat Ecclesiam. | |

AUCTARIUM

- | |
|--|
| I. Jugum mundi Ægyptiacum. |
| II. Jugum libidini servientium durissimum, |
| III. Liberalia seu pecuniaria Dei dona grato animo excipienda. |
| IV. Indurati qua ratione frangendi. |
| V. Christus mitis, sed quandoque etiam severus. |

CONCIO I.

QUAM GRAVIA SINT JUGA JUDEORUM, GENTILIUM, MUNDI, PECCATI, DIABOLI.

Jugum legis Judaicæ grave erat. — II. Jugum gentilium. — III. Jugum mundi. — IV. Jugum peccati. — V. Jugum diaboli.

THEMA.

Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos. Matth. XI.

Nostis, auditores, arcam illam Noe, extra quam nulli salus fuit, typum Ecclesiæ fuisse. Nostis etiam columbam ex illa emissam fuisse : Quæ cum non invenisset, ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam, extenditque Noe manum suam et apprehensam intulit in arcam, Gen. VIII. Sed quid est, quod hæc columba non fugit ma-

num Noe? Cur se apprehendi passa est? Nimirum, quia extra nullum invenerat locum, ubi pedem figeret, non arborem, non turrim, non montem. Hinc reversa est ad Noen suum, suamque libertatem libens ei transcripsit, ut sub ejus imperio requiem inveniret. Ita res habet nobiscum, qui sumus in Ecclesia, sub jugo et disciplina Christi; in qua requiem obtinemus, quamdiu perstiterimus; ab hac si discedamus non inveniemus, quia omnia aquis plena, ubique jugum grave, et certus demum interitus. Quam rem si reipsa experiemur, quam propere ad arcam nostram cum columba rediremus? Quam libenter admitteremus manum nostri Noe, ejusque jugum ad disciplinam, ad quam invitat nos in hodierno evangelio : Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Quare ut hoc intelligamus, evolemus paulisper alis contemplationis nostræ, et videamus num forte extra Eccle-

siam locus aliquis sit, in quo quieti esse et absque jugo possimus.

I. Cernimus jugum legis Judaicæ, quod tam grave erat, ut propterea id tollendum a cervicibus Christianorum statuerit S. Petrus et apostoli in communi Concilio, Act. XV. Quid tentatis Deum, inquit, imponere jugum super cervices discipulorum quod, neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Grave autem ac pene importabile erat primo ob legum multitudinem. Numerant enim Abulensis, q. I. super XXVI. cap. Deut. et q. XXIV. in Leap. Ruth. et Lyranus ibid. tredecim supra sexcenta præcepta Judæorum. Ob quam causam de ea dictum forte Cant. I. Equitavi meo in curribus Pharaonis, assimilavi te amica mea. Quia ut equi juncti carribus undique cinguntur et ambiuntur loris, funibus, catenis; ita Judæi præceptis. Secundo, propter difficultatem ipsorum præceptorum in cibo, tactu, sacrificiis, cæremoniis, judiciis. Verbi gratia, præceptum circumcisionis, sabbati tam strictè servandi, azymorum per occiduum edendorum, anni sabbatici, multiplicium oblationum et sacrificiorum, quæ magno sæpe constabant. Tertio, quia umbræ tantum legum et mysteriorum novi testamenti erant, unde nec gratia conferebant, nec vim justificandi habebant. Quarto, gravissimæ delinquentibus pœnæ erant statuta. Quinto, multa etiam peccata ex ignorantia invincibili commissa, debebant expiari sacrificio. Quare cum quis ad Judaismum vult accedere, præscribunt Rabbini duo hæc. Primum, ut proponantur ei præcepta legis graviora præsertim, et dicatur : O mi homo, qui proselytus esse vis, hætenus potuisti diebus sabbati quod libuit agere, nunc si opus in eo servile feceris, lapidaberis, et sic de aliis. Alterum, ut si mas sit, tria hæc præstet, circumcidatur, baptizetur (more scilicet Judaico) et in holocaustum offerat vel pecudem vel par turturum aut columbarum. Refert Serarius Judith, c. I. q. XXXIII.

Quanto igitur leviora sint in his omnibus præcepta legis evangelicæ, quis non videt? Hæc enim in primis pauca sunt, decalogus, præcepta sacramentorum, etc. præcepta Ecclesiæ : et qui clementer tantum concernunt, ss. canones : impendiosa non sunt neque scrupulosa, gratiæ collativa sunt: non ita gravibus pœnis firmata : ignorantiam invincibilem non obligant. Ad hæc ubi notabilis difficultas est præcepti servandi, facilis est Ecclesia ad dispensandum in præceptis suis, vel eximit omnino.

II. Jugum gentilium, quod nisi gravius esset Christianorum jugo, non diceret apostolus : Nolite jugum ducere cum infidelibus, II. Cor. VI. Imprimis enim quam crudelia illis præstanda erant,

cum expiari deosque suos placare vellent? Juebantur hominem occidere ut Rhodii et Salaminæ; hominem occisum membratim discernere, ut Coi; amicissimum hominem aut principis filium jugulare ac circum aram ducere, ut Phœnices; pueros ad templa strangulare, ut Curetes; puerum cæsum et strangulatum sub altari sepelire, ut Arabes; puellam virginem mactare, ut Laodicenses et Chaldicenses; hospites et peregrinos interimere ut Arcini. Refert Joan. Ant. Campanus, orat. de circumcisione. Vin plura? Ammonitæ pueros idolo Moloch comburendos immolabant, IV. Reg. XXIII. Plut. lib. de superstitione. In Pelasgorum regione ad sedandam pestem, petiit oraculum, hominum sibi decimas immolari, ut scribit Dion. Halicarn. lib. I. et Euseb. I. IV. evang. præparat. Carthaginienses liberos suos Saturno mactabant, vel si liberos non haberent, a patribus in hunc finem emebant : adstant parentes, qui si ingemissent, sine honore vitam in posterum ducebant, Plut. lib. de superstitione. Proxime elapso sæculo apud Indos in una Mexicana urbe ad viginti millia puerorum et puellarum dæmoni quotannis immolabantur, et quandoque mille una die, Surius, in comment. anno 1557. In Mechoacam urbe dæmon offerri sibi postulabat, id quod civibus erat charissimum, uti sponsa vel infans speciosus; quod jugum tam crudele tandem exosi Christo nomen dederunt. Testatur P. Ant. Mendoza, in lit. soc. Ind. Atheniense quotannis duos immolabant homines pro civibus expiandis, unum pro maribus, alterum pro feminis, Leo. III. c. XXXIII. Apud Thraces præcipue a viro dilecta, juxta defuncti rogum a suo propinquissimo mactabatur, quod sibi maximo ducebat honori, Herodor. lib. V. taceo quod dæmon aliis infinitis modis misere eos elusit et dementavit per oracula, vanas observantias, divinationes, auguria, etc. Quid de crudeli dominorum in subditos et servos imperio dicemus? Servos dire tractabant, ad funera mactabant, bestiarum et athletarum pugnae objiciebant. Quam tyrannidem gentilium notavit Christus cum dixit : Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic, Luc. XXII. Cogitate nunc quando faciliori modo expiari possumus nos, et Deo reconciliari? Quanto suavius dominium inter Christianos.

III. Jugum mundi grave esse testatur Ecclesiasticus, c. IV. dicens : Occupatio magna creata est omnibus hominibus, et jugum grave super filios Adam. Hujusmodi autem occupatio illa imprimis est, qua miseri mortales distinentur in mundi vanitatibus, in parandis opibus, honoribus, deliciis, in saginando et ornando corpore, in contentanda uxore, in promovendis et evehendis liberis, in

acquirenda nominis celebritate, in vita proroganda, et suaviter ducenda, etc. Quæ sane occupatio grave jugum est filiorum hujus sæculi, nec dissimile jugo illi, quod imposuit Pharaeo Hebræis, cum occupavit eos perpetuis luti et laterum laboribus, necnon in paleis conquirendis, et penso laborum augendo, ne possent respirare, et de sacrificio ac servitio divino cogitare, Exod. V. Et quid non imperat mundus ambitioso ut honores, avaro ut opes, lascivo ut voluptates, luxui dedito ut cupidines consequatur, parentibus ut liberos suos ditent, ornent, exalcent, etc? Quas adulationes, quæ obsequia, quas vigilias, quas curas, quos metus, quas invidias, quas simonias, quas fraudes, quas usuras, quæ itinera, quos sudores? *Ite ad onera vestra*, dicebat Pharaeo Hebræis, Exod. V. ita et mundus servis suis: Adulamini, mentimini, simulate, fraudate, vigilate, currite, sudate, etc. « Respicite fures et latrones, inquit, Gerson, in tract. de verbis Domini: Venite ad me omnes, prædones et adulteros, quantos labores, quantas vigilias, quantas curas expendant, ut excogitatas nequitias ad effectum perducant? Respicite et eos qui et honestiora quodammodo videntur exercere negotia, diversos dico mercatores mari terraque mercimonia sua circumferentes, quanta incommoda sustineant, subeant pericula, ut ad modica stipendia periturasque divitias quandoque pertingant. Respicite deinde et servos militibus, milites principibus etiam ad illicita quæque servientes et in eundo, in currendo, in stando die noctuque laborantes. » Ad hæc sicuti Hebræi post diurnos Pharaonis labores in fine operis flagellati sunt, Exod. V. ita mundi sectatores, ubi multo et diurno labore multa effecerunt, multa compararunt, multa tolerarunt: ad extremum flagellantur, sive cum eunt cubitum, reflectunt se ad labores suos, sive cum e vita migrant, vindice conscientia undique sauciata. Quemadmodum enim muli onusti pretiosis mercibus habent quidem in itinere comites complures: cristis ornati, tapetibus instrati, inaurato fræno incedunt, sed ubi deventum est ad hospitium, ubi spoliantur omnibus ornamentis unaque onere pretioso, ipsisque adeo clitellis ut miseri aselli toti fatigati, ex onerum pressura saucii, lividi, et nudi ad stabulum abducuntur; ita et qui jugum mundi portant. Tametsi enim aliquantisper pompose incedunt et suspiciuntur ab hominibus, ad extremum tamen ubi ad hospitium mortis devenitur, et sarcina ponenda est, ubi sentiunt dolores, ibi vulnera conscientie; ibi nudi et deserti absportantur in sepulcrum.

Quanto igitur melius, levius et suavius est portare jugum Christi, quod nec ita onerat, nec in

sine cruciat, sed et gaudio implet? Unde Gerson, loco citato subdit. « Respicite e diverso Dei ministros in cœnobio sedentes, modicum quidem laborantes, et plurimum pausantes insuper et pro requie sua quasi pro labore maximo requiem æternam expectantes. Nonne illi multo difficiliore via descendunt ad inferna, quam isti ascendant ad regna superna? Hæc ille. Nihilominus est jugum hæreticorum, quos Erasmus Roterod. scripsit pro jugo hominum et humanarum constitutionum jugum subiisse diaboli, apud Florim. Raimund. de orig. hæres. lib. I. c. ult. Quod si cui absque jugo videntur, quia nullis Ecclesie præceptis subjacent, non adeo feliciores sunt. Ipsi sunt Belial, de quibus Ose. VII. dicitur: *Reversi sunt* (scilicet ab Ecclesia discedendo) *ut essent absque jugo*. Sed quemadmodum boves, qui non trahunt jugum in periculo sunt lanienæ, non item, qui trahunt: ita illi ad lanienam inferni destinati sunt, non qui Ecclesie jugum portant. Dicuntur boves Hungarici jugum detrectare, unde cum ex Hungaria ad nostram aguntur patriam, nonnisi ad macellum eunt. Talis est hæreticorum vita: iter est exlegum hominum ad diaboli lanienam.

IV. Jugum peccati, cujus gravitatem satis explicavit expertus ille David, qui Ps. XXXVII. ait: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me*. Scripsit eum Psalmum David paulo post commissum adulterium, in rememorationem de sabbato (ut habet titulus), hoc est, in rememorationem pristinae quietis, quam habuit in statu gratiæ antequam peccaret. Considerans ergo præsentis status sui miseriam, sentiebat onus grave impositum sibi a peccato, veluti a tyranno. Nec vane: *Omnis enim qui facit peccatum servus est peccati*, ait Dominus, Joann. VIII. ideo apostolus hortatur ad Rom. VI. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus*. Sed quia in re afflixit aut gravavit Davidem, jugum hoc peccati? Explicat accurate. Primo, grassabatur in ejus voluntatem dum eam rapiebat quasi impetu quodam de peccato in peccatum. Nam primo, comminiscitur ejus; imperat David fraudes, quibus tegat peccatum suum: vocat Uriam et jubet ire domum ad uxorem, ut sic fœtus adulterinus, legitimus credatur quasi prognatus a patre. Deinde, cum non iret Urias, inebriavit eum, ut ab ebrio obtineret, quod non poterat a sobrio. Tertio, jusit eum per litteras constitui in acie prælii ut percussus et desertus interiret. Quarto, hoc ipso magni alicujus sceleris reum ipsum insimulavit, quasi hanc cædem et desertionem meruisset. Quinto, eumdem innocentem et fidelem servum

suum Uriam exhibuit fatalium litterarum latorem, adeoque mortis suæ ministram. Denique, factum Joabi perperam probavit, ejus necem et suorum fugam ac cædem non doluit, sed omnia devoravit, ut suam tegeter libidinem. Ecce in quas malorum voragines coactus est vir tam sanctus olim, unius peccati tyrannico imperio! Bene igitur dixit: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me*. Sed non desiit hic tyrannus; grassabatur etiam in intellectum et syndæresin, unde subdit: *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ*, q. d. ex hoc factus sum tam insipiens, ut non adverterem vulnera mea, nec medica vi curarem, sed oblivione tecta sinerem putrescere, et fœtere, indeque affligi animam, quia non erat expressus sanguis peccati corruptus. Ideo paulo ante dixit: *Non est pax in ossibus meis a facie peccatorum meorum*. Tertio, grassabatur etiam in phantasiam et memoriam, dum eas ad pecunias tantum, voluptates volvendas et revolvendas inclinabat, divinarum rerum gustum omnino tollebat, unde subdit: *Miser factus sum et curvatus sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar*. Quarto, grassabatur in ejus carnem, quam ex peccato depravatam stimulat et inflammabat ad prurimum et rebellionem. Ideo addit: *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea*. Denique, grassabatur etiam in ipsam regis dignitatem et existimationem, siquidem is ob peccatum istud militem sibi subditum, quem offenderat, debuit timere ne ipsi proderetur. Unde S. Chrysostomus, hom. I. in Psalm. L. tom. I. ait: « Videte et admiramini fratres quantum malum sit delictis et peccatis obnoxium fieri? Rex militem timet et formidat subditum: imperator coronam capite gestabat, et confusionis opprobria metuebat. Nonne tu imperator? Nonne gladii potestatem habes? Habeo, inquit, sed conscientiam peccati mei timeo, formidinis matrem. » Ideo sequitur in Psalmo illo: *Afflictus sum et humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei*. Habes igitur in Davide depictum peccati jugum et tyrannidem. Præcipit enim primo, peccata multiplicare, sed quam fieri potest tectissime, tum peccata palliare, et a se in alios rejicere. Post sine rubore delinquere, denique vi et armis nullo Dei hominumque respectu habito, uti, obvios quosque sternere, quo conceptam peccandi libidinem queat explere. His peractis sævire incipit in auctorem ipsum, in ejus animi vires, in carnem, famam, substantiam, vitam. Jam vero si Christus ea tibi præciperet, quæ præcipit peccatum, quid diceres? Si præciperet tibi sollicitare et violare uxorem alienam: inte-

rim peccatum illud omni modo tegere, maritum ejus occidere, ita tamen ut nemo advertat: conscientie remorsum contemnere, famam tuam negligere: nonne exclamares, durissimam hanc esse legem et periculis plenam? Quid si juberet te prædari, furari, latrocinari? Non præcipit hæc Christus, sed ut quietam ducas vitam, nulli malum inferas, ne malum ab altero timeas.

V. Jugum diaboli cujus gravitas elucet ex Isaia, qui id, c. IX. *Jugum oneris* vocat, q. d. jugum onerosissimum juxta phrasin Hebræam. Est autem triplex ejus jugum. Primo, onus quo premit: secundo, virga qua percutit: tertio, sceptrum quo tyrannice imperat et exigit. Quæ omnia attigit Isaia, cum ait: *Jugum oneris ejus, virgam humeri ejus et sceptrum exactoris ejus superasti*. Jugum suum premit imperando eis durissima et abominanda, quæ dum præstant, dæmoni arant et serunt. Virga cædit, si imperata non fecerint, vel ab ipso discedere voluerint. Sceptrum imperii sui exigit ab eis peccata gravissima velut tributum ita ut perpetuo noceant hominibus, animalibus, frugibus, etc. In Lotharingia nuper prædiviti nobilique matronæ decem liberos artibus suis nefandis occidit quædam venefica, in quam illa sæpè fuerat beneficentissima. Deprehensa tandem ingrata femina et rogo adjudicata, ultro prodidit eam se esse, quæ liberis illis omnibus mortem attulerat: interrogata autem quomodo non exhorruisset tam liberalem in se dominam tanto damno injuriaque efficere, respondit: Ad hoc minis gravissimis ac etiam baculo adegit me diabolus, quo gravius esset scelus meum propter ingratitude. Refert R. Baldus Chavassius, qui dominam illam novit, de perf. prud. l. III. c. V. Idem experiuntur in hac vita et aliæ maleficæ: quæ ad gravissima quæque patranda scelera ab eo adiguntur, ita ut omni turpitudini servire charissimos quosque adeo interimere liberos, occisos exhumare et comedere, ipsum Beelzebub supplices adorare et (proh dolor!) fœdissimam ejus anum deosculari, verum Deum abnegare, eucharistiam, ss. crucem et sacra omnia pedibus conculcare cogantur: quæ nisi fecerint, dire ab eodem flagellantur. Denique, perpetuo ab eis exigit, quod peccent, ut verissimum in illis sit quod dicitur, Jer. XVI. *Servietis diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem*.

Experiuntur ad finem vitæ magi et necromantici et quotquot cum illo pactum habuere, quam crudeli domino servierint, dum vel repente vivi abripiuntur, vel in partes lacerantur, vel præcipitantur, vel aliter misere pereunt.

Sed in inferno demum exiget ab eis tributum pœnarum, quod jugum erit omnium gravissimum.

Roboam cecidit subditos scorpionibus, qui patris sui flagellum ferre noluerunt, III. Reg. XII. ita qui Christi jugum ferre nolunt ferent aliquando gravissimum illud diaboli. Qua de re S. August. serm. XXII. de vera. apostoli: « Scito onus diaboli infinitis partibus gravius esse; minimus ejus digitus grossior est dorso Patris (Dei). Ille posuit iudicio tuo perverso jugum grave: hic addit super jugum tuum; ille cædit te flagellis, hic cædit te scorpionibus in sæculorum sæcula. » Sic ille. Viderint igitur filii Belial, id est, qui absque jugo vivere volunt quid agant. Contra Christus habet quidem et ipse suum jugum, ut in hodierno evangelio, virgam et sceptrum, sed suave, de quibus Ps. XXII. dicitur: *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Jugum nobis imponit, ut nobis aremus et occemus: virga nos impellit ad virtutis progressum et errantes revocat: scepro seu baculo lassos sustentat. Et hæc omnia nos consolentur, quia ostendunt profectum et salutem nostram curæ esse Deo.

Ergo ad istud jugum recipiamus nos, auditores, revertamur ad arcam nostri Noe, Christi, nec fugiamus manum disciplinæ ejus, ibi tuti erimus et inveniemus requiem animabus nostris. Sic monet Eccles. c. XV. inquiens: *Collum vestrum subjicite jugo, et suscipiet anima vestra disciplinam.*

CONCIO II.

QUA RATIONE JUGUM CHRISTI, ID EST, MANDATORUM EJUS SUAVE SIT.

I. Consideratum in se. — II. Propter gratiam adjuvantem. — III. Propter exemplum Christi. — IV. Ob charitatis adminiculum. — V. Ob considerationem præmii. — VI. Quia ab optimo patre impositum. — VII. Ob consolationem divinam adjunctam. — VIII. Alleviatur usu.

THEMA.

Jugum meum suave est, et onus meum leve. Matth. XI.

Certare secum ipsa videtur S. Scriptura, imo etiam hodiernum evangelium. Alicubi enim ait jugum Dei grave esse. Nam Eccles. XL. dicitur: *Grave jugum impositum est super filios Adam.* Deinde, passim Dominus onus suum, crucem vocat: *Qui non accipit crucem suam et sequitur me, etc.* jubet etiam relinquere omnia, odisse patrem et matrem, et fratres, et sorores, et uxorem, et filios, adhuc autem et animam suam; hæc enim onus sunt, et quidem non leve nec suave. Rursum etiam viam cæli arctam, et portam ejus angustam esse, asserit idem Dominus, Matth.

VII. David etiam. Ps. XVI, vias Domini duras vocat: *Propter verba labiorum tuorum ego custodi vias duras.* Ex quibus omnibus hæretici nostri temporis sibi persuaserunt, jugum Christi prorsus importabile esse. Alibi vero Scriptura ait grave non esse, ut Deut. XXX. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, etc.* et Psal. XXVIII. *Judicia Domini dicuntur desiderabilia super aurum et argentum, et dulciora super mel et favum:* et I. Joann. V. *Mandata ejus gravia non sunt.* Imo et hodiernum evangelium videtur secum pugnare; si enim jugum est, quomodo suave? Si onus quomodo leve? Sed audiamus Christum litis hujus diremptorem. Fatetur enim hic jugum suum, jugum quidem esse, ne tamquam nimis facile contemneres: sed adjecit, id ipsum leve esse, ne tamquam nimis laboriosum fugeres. Id vero leve redditur a Christo, multis modis; quod nunc audiamus.

I. Suave et leve est jugum Christi, in se consideratum. Jugum enim Christi, seu mandatorum ejus, nihil est aliud, quam juste et pie vivere. Adhuc autem inclinatum hominem ipsa ejus natura et ratio: ita ut vivere secundum rationem, idem sit ac honeste et bene vivere; male autem vivere sit contra rationem. Annon cuivis homini sensato suadet ratio, colere Deum ac parentes, proximum amare, succurrere afflictis, etc. Annon dissuadet idololatriam, cultum diaboli, furta, latrocinia, fraudes, mendacia, etc. Hinc Deut. XXX. dixit Deus ad Moysen et per hunc ad populum: *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, usque procul positum, nec in caelo situm, etc. Sed juxta se est sermo valde, in ore tuo et in corde tuo, ut facias illum.* Quia nimirum omnia legis præcepta, ut ait ibi Lyranus, sint quodammodo de dictamine juris naturalis, et per consequens scripta sunt aliquo modo in cordibus humanis, secundum quod dicitur ad Rom. II. *Cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Verum quidem est post peccatum multum immutatam esse hanc inclinationem in homine, ob tyrannidem concupiscentiæ, quæ ad illicita trahit hominem, ita ut jam magis secundum carnem, quam secundum spiritum et rationem vivere quærat; id tamen non ex natura et difficultate vitæ honestæ seu mandatorum divinarum, quibus ea continetur provenit, sed ex vitio et ignavia nostra, ut docet S. Chrysostomus, manet interim igniculus rationis ad virtutem et honestatem inclinans. Quid esse potest melle dulcius? Ægroto tamen amarum persæpe videtur. Ad eundem modum lex onerosa non tam sua natura, quam nostra fit pigritia. Quod vero domare

etiam concupiscentia possimus, probant illa Dei verba Genesis IV. *Sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius.* Ad quod juvat quæ dicemus.

II. Propter gratiam adjuvantem. Non enim soli prorsus jubemur Dei legem constanter observare, sed una cum gratia Dei, quæ passim nobis offertur. Hoc præfiguratum est in adjutorio illo, quod præstitit Deus levitis in gestatione arcæ fœderis ad domum David, 1. Par. XV. Hoc est denique quod apostolus ad Corinthios, 1. Cor. XV. scribens, cum dixisset se plus omnibus laborasse dixit: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Vult dicere: Non ego solus, sed una cum Dei gratia. Hujus auxilii tantam expertus est potentiam, ut ad Philip. IV. dicere non dubitavit: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Porro varii modi possunt assignari, quibus gratia Dei nos adjuvat ad portandum istud jugum: modo enim vires nostras corroborat, et quodammodo ex ferro vel cupro chalybem facit; quomodo ad Jeremiam dixit: *Ego dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream et in murum æneum sepe omnem terram, etc.* Jer. I. Hæc multos eremitas ita confortavit, ut sæpe integras hebdomadas et amplius sine omni cibo transigerent: martyres, ut omnia adversa tolerarent.

Modo occasiones peccandi removet et hostes nostros reprimit quod enim Hebræis legem servantibus ad litteram promisit, Levit. XXVI. *Dabo pacem in finibus vestris: dormietis et non erit qui exterreat: auferam malas bestias et gladius non transibit terminos vestros,* hoc spiritualiter etiam præstat iis sæpe insciis, qui ipsius jugo colla submitunt.

Modo tentationes reprimit ac mitigat, subindeque internis Spiritus s. consolationibus nos attollit. Designatum est hoc auxilium in vento roris flante in media fornace, ignem restinguente, ne tribus illis pueris noceret, Dan. III. Hoc enim sæpissime nobis facit in tentationum incendiis. Igitur quemadmodum pondus gravissimum, beneficio multarum rotularum et funium, uno digito trahi in altum potest: ita beneficio gratiæ, quæ plurimis funibus adjuvat, lex facile servari.

Quod si igitur solus trahere hoc jugum nequeas, postula sociam gratiam a Deo, qui dat omnibus affluenter. Reges quidem terræ potestatem condendarum legum habent, non dant tamen, nec dare possunt auxilia, præsertim spiritualia ad earum observationem necessaria. Non ita agit Deus, qui novit vires nostras: et suas quoque addit, ut ferre possimus quod imponit jugum.

III. Propter exemplum Christi imprimis, deinde sanctorum innumerabilium. Quem enim primo,

non animet exemplum ipsius Christi in suarummet legum regidissima observatione præeuntis? Tanti est hoc exemplum, ut onus maxime alleviet quod prædixit Sophonias, cap. III. fore nimirum aliquando, ut homines serviant Deo humero uno, quia nimirum ipse suppositurus erat humerum alterum, juxta prædictionem Isaïæ, c. IX. *Factus est principatus super humerum ejus.* Quo loco paraphrastes Chaldaicus per principatum legem intelligit, quam, quia Dominus opere implevit, super humerum portasse dicitur. Quis ergo non libentissime supponat humerum alterum, quando considerat Christum supposuisse primum? Tantam habuit vim exemplum S. Petri ad gentes sibi conformandas, ut Sanctus Paulus eum redarguens diceret: *Quomodo gentes cogis judaizare?* ad Gal. II. Multo ergo magis cogere nos debet exemplum Christi ad jugum ejus ferendum. Signum enim est, quod non adeo durum sit, quod ipse, qui supra leges est, subire non detractavit: ut taceam, quod ipsa societas tanti regis jugum alleviare debeat. S. Clemens relegatus in insulam quamdam a Trajano, cum ibi ad duo millia Christianorum invenisset, ad secunda mariorum eo relegatorum, adeo recreatus fuit, ut indignum se reputaret, qui coronæ illorum particeps fieret: *Non meis meritis,* inquit, *misit me Dominus vestræ coronæ participem me fieri.* Quis igitur non libenter ferat jugum Christi, quod vidit ab ipso et tot millibus sanctorum ejus alacriter portari? Certe sancti quippe non erant contenti Christi jugo, quasi levius id esset, quam optarent, unde onus sibi addiderunt, servando etiam consilia et plurima supererogationis opera faciundo.

IV. Ob charitatis adminiculum quo tamquam pulvinari suffultum est jugum. Constat enim, ut ostendit S. Augustinus de sancta virginitate, nullo modo onerosos esse labores animantium, sed ipsos delectare, sicut venantium, aucupantium et piscantium: *In eo enim quod amatur, ait, aut non laboratur, aut labor amatur.* Ut ergo labor venantium aut piscantium, etc. ipsemet est delectatio laborantibus: sic Deum amantibus jugum Christi. Unde optime idem s. pater, serm. XXII. de verbis apostoli, onus hoc comparat alis avium, quæ potius sublevant, quam onerent: *Hæc sarcina, inquit, quæ esse putatur, non est pondus onerati sed alæ volaturi; habent enim et aves pennarum sarcinas: portant illas in terra, portantur ab illis in caelo, etc.* Quin et M. Aurelius imperator scribit ad uxorem: *Leges tum juga sunt, sub quibus mali arant: tum alæ, quibus boni volitant, et libero caelo fruuntur.* Quid facit ut matres tot labores et molestias devorent, gratia filiorum? Amor. Quæ

causa est, cur aves tanta industria nidificent, ciborum oblitæ ovis incumbant, pro pullis suis pugnent? Amor. Vide igitur ut amore Dei ardeas, et in eo semper crescas: tunc invenies quod dico, jugum Christi semper magis et magis leve. Quando quis brumæ tempore onus aliquod ferre humeris nequit, imponit illud trahæ et nullo negotio trahit. Videtur quidem onus augeri dum traha ei adjungitur sed hæc ipsa levius facit onus. Simili modo dicere quis posset, duplicari onus, dum amorem etiam requirimus ad mandatorum observantiam? Sed hæc ipsa rheda vel traha magnopere eam levigat. Si ergo Christum legislatorem nostrum ex corde amemus, onus ejus parum sentiremus.

V. Ob considerationem præmii, quod jugo Christi annexum est. Si enim agricola tolerat labores plurimos ob spem frugum et messis, si operarius portat pondus diei et æstus ob denarium diurnum, si miles se innumeris exponit vitæ periculis ob spem prædæ vel gloriæ, mercator periculis maris ob spem lucri, et his omnibus sine tædio; quomodo asperum esse potest, pro æterna gloria portare jugum Christi brevi hujus vitæ curriculo? Obtulit se Jacob ad serviendum pro Rachele septem annis in pastoralis munere: *Et videbantur illi pauci dies*, (inquit Scriptura) *præ amoris magnitudine*, Gen. XXIX. Cur non ergo similiter leve nobis erit jugum id, quod parvo tempore gerimus pro æterna felicitate? Propterea apost. ad Ephes. c. 4. tam vehementer erat: *Ut Deus*, inquit, *Domini nostri Jesu Christi Pater gloriæ det vobis Spiritum sapientiæ et revelationis, in agnitionem ejus, illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis*, etc. Non enim dubitavit apostolus, omnem nostrum laborem suavem nobis et levem fore, si illuminatis oculis intueremur divitias gloriæ laborantibus præparatas. In prato spirituali (quem librum S. Nicæna Synod. approbavit) legitur monachum quemdam cellulam sibi construxisse, duodecim passuum millibus ab aqua dissitam. Quadam die egressus ad eam apportandam animo ex lassitudine linguæ cepit, recollectis nonnihil viribus, seipsum stultitiæ damnat, quod loco tam incommodo domicilium sibi delegerit: ergo dum variis mens cogitationum fluctibus quatitur: *Bene habet*, inquit, *vicinior aquis cella, lacus quærenti non deerit*. Hæc dum animo versat, ecce tibi pone illum quasi hominis vox (caelo sine dubio delapsa) unum, duo, tria, articulate in aere efformans. Versus in stuporem monachus in omnem partem oculos circumferens, curiosus num quem in solitudine fortasse videret metientem quidpiam, deprehendit nemi-

nem; iter ergo prosequitur suum, urgetque designatum mente tuguriolum: redit ut ante vox altera, eosdem numeros ingeminans. Incassum denovo frater respicit: adest tertio, ternarium iterans, qua vix finita, juvenis adstat speciosissimus, itaque virum alloquitur: *Ne turbere, angelus e caelo mittor, passus tuos singulos studiosissime numerans, sua ut cuique merces, eaque amplissima olim solvatur*, finit, et ex oculis monachi se subducit. Hic vero quid? Errorem corrigit, mentem mutat, et cui animo sederat, accedere aquæ propius, statuit ab eadem (quod et fecit) multo adhuc recedere longius; didicerat scilicet auctis laboribus auctius vicissim in pulchra illa æternitate præmium respondere.

Alexander M. cum itinere videret Macedonem agasonem, qui mulum defessus auro onustum agebat, a mulo in humeros suos sarcinam transulisse, ne id forte perderet, sciens esse Alexandri, et tamen ipsum quoque agasonem sub onere deficientem, progredi non posse, agasoni vicinior factus dixit: *Ut tibi hic labor minus gravis sit, in tabernaculum tuum hoc aurum deferens, quia jam ex hac hora tuum esse jubeo*, Fulgos. lib. IV. Quis dubitat hunc Macedonem facilius deinde gestasse hoc aurum in domum suam? Idem ait nobis Deus. Lex ejus saccus est plenus auro gloriæ celestis; si ad eum deferamus saccum hunc, donat nobis aurum. Ut nobis labor minus gravis sit; nobis enim laboramus, nobis aurum gestamus. Unde Isidor. Clarius, orat. IX. tom. III. ait: Videtur mihi evangelicæ legis jugum ac onus persimile esse, ut si quis torquem maximi ponderis ac immensi pretii collo circumponat, vel ingentem auri massam, quam dono acceperit, humeris ferat utrumque onus est, sed minime sentitur ob metalli speciem atque pretium: quin ii qui ea ferunt, lætantur ac gestiunt, sibi que in eis placent. Idem cernimus viris evangelicis usu venisse, qui: *Gloriabantur*, ut aiebat Paulus, *in afflictionibus et omne gaudium existimabant, cum in variis tentationibus incidissent*. Sic Isidorus.

VI. Suavitas etiam hujus jugi vel exinde sumi potest, quod ab optimo et amantissimo patre Christo nobis impositum sit. Gravissima videri Isaaco sarcina illa lignorum poterat, quam imposuit ei pater ferendam, Gen. XXII. nisi eam sciret a benignissimo patre sibi impositam. Quanto æquius ferendum onus, quod imposuit nobis Christus, qui novit exactissime quid et quantum nobis imponat, quamque id necessarium et salutare nobis sit; tantum abest, ut vires nostras opprimere velle importabili jugo existimandus sit. Quomodo enim non omni tyranno crudelior et stolidior foret, si impossibilia præcepisset et impor-

CONCIO III.

INVITATORIA AD JUGUM DIABOLI TRAHENDUM DISSUADENTUR.

I. Invitat per superbos. — II. Invitat per avaros. — III. Invitat per obscenos. — IV. Invitat per invidos. — V. Invitat per iracundos. — VI. Invitat per gulosos. — VII. Invitat per otiosos.

THEMA.

Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Matth. XI.

Traditur hyæna sermonem humanum inter pastorum stabula assimilare, nomenque alicujus ad discere, quem evocatum foras laceret, ut scribit Plinius, lib. VIII. c. XXX. Quo schemate recte lineari potest humani generis hostis; siquidem et ipse humanam supremi pastoris nostri Christi vocem et loquendi modum imitatur, ut ita incautos homines ad se evocatos perimat. Invitat nos Dominus in hodierno evangelio ad suave jugum suum suavissimis illis verbis: *Venite ad me omnes*, etc. et passim alibi in ss. litteris per os Spiritus sancti: *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos*, Psal. XXXIII. et: *Venite, comedite panem meum*, etc. Prov. IX. Sed ecce hanc eandem vocem imitatur dæmon, et a suavi Christi jugo, ad gravissimum suum evocat homines non tam sua quam suorum mancipiorum humana voce. Modo enim clamat: *Venite faciamus vobis civitatem et turrim*, Genes. XI. modo: *Venite sapienter opprimamus eum*, Exod. I. modo: *Venite fruamur bonis*, etc. Sap. II. modo: *Benite percutiamus eum lingua*, Jerem. X. modo: *Venite et occidamus eum*, Matth. XI. modo: *Venite sumamus vinum et impleamur ebrietate*, Isa. LVI. modo: *Venite mittamus sortes*, Joan. I. Et quidem si unquam alias deceptorias has emittit voces, tum maxime his diebus, quibus imminet bacchanalia. A quibus nos paterne dehortatur Sapiens, Prov. I. *Fili mi*, inquit, *si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint: Venite nobiscum, insidiamur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra, deglutiamus eum sicut infernus viventem et integrum quasi descendentem in lacum. Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis, sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrum.* (Quis in istis verbis non agnoscit vocem bacchantium?) *Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a semitis eorum: pedes enim illorum ad malum currunt.* Videat igitur unusquisque cujus vocem audiat, Christi invitantis ad refectionem, an diaboli invitantis ad perditionem: Christi invitantis ad

tabilia imposuisset; taceo quod nullum peccatum foret non implere, quæ non possis?

VII. Ob consolationem divinam, quæ est insulari unguenti, quo inunctus currus facili vi trahitur: De quo Isaias, X. dicitur: *Computrescet*, id est, mollescet, *jugum a facie olei*: et II. Cor. I. *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra.* Quam grave jugum putatis jacuisse in dorso S. Andreae, cum b'ido in cruce penderet? Et tamen ille, cum venissent, qui deponerent eum, rogavit Dominum, ne id permetteret: *Ne me permittas Domine*, inquit, *descendere vivum.* Quid quæso emollivit et putrefecit hoc tam grave ejus jugum, nisi consolatio interna, qua abundabat? Non ita jugum eorum, qui mundo serviunt, inunctum est: strideret currus eorum, quia unctione ista caret.

VIII. Ultimo alleviatur usu et consuetudine. Sic currus in ipso progressu facilius trahitur quam initio. Sic pueri etiam parvi magnas campanas pulsant dum illæ sunt in motu, non ante. « Subito procedent de umbra ad solem, ait Sanctus Bernardus epistola quinta, de otio ad laborem. Grave cernitur omne quod incipit: sed postquam ab iis dissuescere et ad illa se paulisper assuescere cœperit, usus tollit difficultatem, invenitque facile esse, quod impossibile ante putavit, etc. » Denique, jugum Christi simile est herbæ moly, quam Ulysses difficillimam navigationem instituens, secum acceperit contra præstigias Circeæ scribitur ab Homero, ejus enim radix erat nigerima, flores autem candidissimi: simili modo virtus præsentissimum remedium in hujus vitæ navigatione contra dæmonum insidias, initio quidem horrida est homini inassueto, postea vero paulatim vertitur in suavissimi odoris flosculum. Quare auditores, ne dubitemus jugo Christi subficere cervices nostras: tametsi enim in hoc tempore æformitatem et asperitatem aliquam continet, progignet tamen ad finem temporis et initium æternitatis candidissimum æternæ felicitatis florem, etc.